

25  
— — — — —  
DISSERTATIO PHILOLOGICA  
De

# חֹפֶת מִצְרַיִם

ex Josuæ V. 9.

Quam  
*Suffragante Amplissima Facult. Philosophica  
Regie quæ ad Auram est Academiæ,*  
PRÆSIDE

ISAAC BERNARDINI  
Sacri. L. L. Profess. Ord.

*Ad publicum eruditorum examen modeste  
deferret*

GUSTAV. B. GRANROTH,  
*Ostro-Botnensis.*

d. 23. Masi Anni 1733.  
*loco horisque ante meridiem consuetis.*

---

A B O Æ,  
Excud. Joh. Kriampe Reg. Acad. Typ.

*Otto Friedrich Creutz*

S:æ R:æ Maj:tis

Magnæ Fidei VIRO,

*Reverendissimo Patri ac Domino,*

DOMINO

**LAURENTIO  
TAMMELIN,**

S.S. Theologiæ DOCTORI  
Præcellentissimo,

Inclitæ diœcesios Aboënsis  
EPISCOPO

Eminentissimo,

Regiæ ibidem Academiæ  
PRO-CANCELLARIO

Magnificentissimo,

Consistorii Ecclesiastici  
PRÆSIDI

Gravissimo,

Scholarumque per diœcesin  
EPHORO

Amplissimo,

MÆCENATI MAXIMO:

**L** *Imma* Tua, Reverendissime Pater, pul-  
santi, nomenque tam insigne curis his  
incultis praesigenti, radios oculorum sere-  
nissimos indulgeas, summa qua par est animi  
veneratione contendo atque obtestor. Audacia  
hac nimia non aliunde profecto, quam  
ex venerabunda beneficiorum in me collato-  
rum memoria, & ex favore, quo in studia  
incumbentium fovere soles conatus, emana-  
vit: que si hic predicare intermitterem, a-  
nimi certe ingrati haud subterfugere viderer  
notam. Proinde sub tutela Nominis Tui, &  
foetus hic ingenii tenuissimus, & ego ipse,  
qui me totum & fortunam meam Tibi, Reve-  
rendissime Pater, commendatam cupio, tuti  
satis latere speramus. Respice igitur, Pater  
Reverendissime, placidis oculis chartaceum  
hoc munus vilissimum, gracilique depictum  
Minerva. Quod si eveniat, rem ex voto  
dicam successisse, votaue pro vita & inco-  
lunitate, quamdiu spiritus artus regit, fun-  
dam calidissima, permanens

REVERENDISSIMI, NOMINIS TUI

clians) humillimus  
Gustavus Granroth.

*Maxime Reverendo atque Amplissimo*

*VIRO,*

Dno. DANIELI JUSLENIO,

S. S. Theologiae DOCTORI ac PROFESSORI ordinario, Ecclesiae Cathedrae is Fennicae, quae Aboae est, ANTISTITI gravissimo, Consistorii utriusque ADSESSORI Amplissimo, Mæcenati submissio venerationis cultu ætatem prosequendo.

*VIRO Nobilissimo*

Dn. JOANNI

CAMERARIO per Provincias  
& Alandiam accuratissimo  
propen-

**B**enevolentiam Vestram, Patroni & Mæcenates, officiis, dum considero, non certe possum, quin tæ erga Vos mea testatam veim, honorificaque Vobis exornem. Genus licet hujus scripturae valde sit reros pascere valeat, inveniatur: splendore tamen auctoritate conquiescat Vestra, rogo. Accipite igitur fronte, ingeniumque sublevate benignitatis Vestrae sitibor beneficium, vota que pro vita & incolumi-  
vigeatis, ex imo persol-  
MAGNORUM NOMI-

*devotissi-*

Gustavus

Maxime Reverendo atque Amplissimo

VIRO,

Dno. ANDREAE BERGIO,

S. S. Theologiae DOCTORI ac PROFESSORI  
ordinario, ejusdemque Facultatis h. t. DECA-  
NO Amplissimo, Consistorii utriusque AD-  
SESSORI gravissimo, ANTISTITI Eccles. Rã-  
dendahl, Neso & Merimasso fidelissimo, Mæ-  
cenati submissa animi reverentia suspiciendo.  
ac Sociatissimo,

SVAHN,

Aboensium, Biörneburgensem,  
simo, Patrono ac Nutri-  
fissimo.

*summam, quam nullis unquam demereri possum  
vilissimis hisce munusculis magnitudinem observan-  
stra, Patroni, appellatione dissertatiunculam hanc  
leve, nihilque in eo, quod animum oculosque Ve-  
Nominum eluceat Vestrorum, in patrocinioq; ac  
tur, submissa contendo, leviuscula hacce serenæ  
aura tenuissimum: unde magnum mihi obtigisse pro-  
tate, diu ut in ecclesia ac reipublica commodum  
viam pectore, qui maneo*

NUM VESTRORUM

*mus cultor*

B. Granroth.

*VIRO*

*Plurimum Reverendo ac Praclarissimo,*

**Dn. Mag. ERICO FALANDRO,**  
Ecclesiarum, quæ Deo in Calajoki colliguntur,  
Pastori fidelissimo, Tutori ut ex teneris  
annis propensissimo, ita etiam filii re-  
verentia æternum colendo.

*VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo*

**Dn. JACOBO SIPELIO,**  
Pastori in Locteo meritissimo, Fautori mul-  
tis nominibus honorando.

*VIRO Fide & industria Spectatissimo,*

**Dn. HENRICO HOLST,**  
Legionis Ostro-Botnicæ Pedestris A Rati-  
onibus, Fautori Certissimo.

*VIRO Spectatissimo,*

**Dn. JACOBO FALANDRO,**  
Consiliario & Mercatori Palæcarlepolitano  
prudentissimo, ob beneficia haud vulgaria  
semper colendo.

**M**inor certe est chartula, quam ut omnium  
liberalissime, beneficiorum sit capax. Tamen  
petat, ausus sum primitias hujus ingenii tenuissimi,  
documentum ac tesseram pie mentis.

Plur. Rev. Clariss. Doct.

observan-

Auctor &

VIRO

*Plurimum Reverendo ac Praeclarissimo,*  
Dn. Mag. JACOBO WIJKAR,  
Pastori in Motala fidelissimo, Avunculi loco  
semper colendo.

*VIRO Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo*  
Dn. M. PETRO HELLBERGH,  
Conrectori Scholæ Trivialis Ullæburgensis me-  
ritissimo, Praeceptorum ut olim fidelissimo, ita et-  
jam semper quovis reverentiæ genere colendo.

*VIRO Perquam Reverendo atque Doctissimo,*  
Dn. CHRISTIERNO BONELIO,  
Comministro in Kiemi fidelissimo, Consan-  
gvineo propensissimo.


*VIRO Spectatissimo,*  
Dn. DANIELI KIEMPE,  
Senatori & Mercatori Neo Carlebyensium  
prudentissimo, affini per dilecto.

Vestrorum Fautores, imprimis Tuorum Tutor  
cum præter voluntatem remunerandi nihil mihi sup-  
er una cum prosperitatis cumulatissima aaspeccatione, in  
Vobis sacratas offerre.

Spect. Nominum Vestrorum  
sissimus  
Respondens.

# SYNOPSIS.

- P**rocurator viam ad institutum aperit.
- §. I. De circumcissione secunda in antecedentem differit.
- §. II. De instrumento ejus & causa dilatationis agit.
- §. III. Nomen מצרים illustrat.
- §. IV. Vocum חרפה & 773 affectionem ostendit.
- §. V. eos producit, qui active statuunt irrisionem Aegyptiorum, i. de servitute Aegyptiaca.
- §. VI. 2. De frustrata spe occupandae Cananae.
- §. VII. 3. De praputio, quod num Aegyptii primi deposuerint:
- §. VIII. An exemplo patriarcharum circumcideri coeperint, disquirat.
- §. IX. Sententiam mediam examinat, quae חרפה active de Israelitis, מצרים vero objective ut materiam irrisionis ponit.
- §. X. De iis agit, qui passive haec accipiunt, i. de Aegyptiorum superstitione & moribus profanis.
- §. XI. 2. De praputio Aegyptiorum ignominioso, quam sententiam confirmat.
- §. XII. Ab objectionibus vindicat.



A. Ω.

*PROOEMIUM.*

**S**ūmus ille rerum Arbiter, tam immortalī semper in nos mortales flagravī amore, ut innumera ejus per omnem mundi ætatē existēt vestigia. Certe neqve veteris illius œconomix, severiore licet sub fronte, alia est indoles, non ratione tantum Israeliticæ gentis, quam in peculiare fœdus susceptam circumcissionis sigillo munivit, ab aliisque omnibus disjuxit Deus: verum & respectu gentium reliquarum, quas mirabi-

A

li

li hoc signo ad attentionem, ut instituti adeo infueti rationem curatius rimarentur, excitare voluit. Ritus quidem iste deinde a posteris Abrahami usque ad exitum ex Ægypto 400 & quod excurrit annis constanter est servatus, donec præ molestia itineris per solitudinem Arabiæ intermitteretur. Verum denuo, interjecta 40 annorum mora, Israelitis jam in Canaanitidem ingressis, institutum hoc mandato ad Josuam divinitus factò sollempniter est instauratum. Cui actui subjunctum illud ἐπιφώνημα divinum Jos. 5. 9. quum ansam mihi præbuerit specimine hocce publico tenuissimum ingenium exercendi: favorem benevolentiamque Tuam, candide Lector, enixe rogatum venio, ut juveniles hi, sed innoxii, ausus saltem venia non habeantur indigni.

## § I.

**N**on omnino præter rem fore arbitror

bitror, si quæstionem argumento nostro conjunctam, quam eruditi varie versarunt, primum moveam. Quam enim Deus Josuam ad actum hunc circumcissionis hoc mandato excitavit: שׁוּבוּ מֵלְנֶפֶשׁ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל שׁוּבוּ  
*revertere*, (seu rursus) *circumcide filios Israelis secundum*: anxie quæsitum est, quid heic vocabulum שׁוּבוּ designet. Non hic Iudæorum commenta moramur, quorum nonnulli opinantur Israelitas in Ægypto circumcisos præputium in deserto retraxisse, id eoque circumcissioni denuo subjectos: quum hoc historiæ ipsi v. 5. & 7. repugnet, neque alias impietatis illius vestigia isto ævo appareant. Aliis placet שׁוּבוּ seu *resectionem*, ab Israelitis eatenus neglectam, præcipi: videlicet residuam præputii cultro recisi partem, denuo acutis pollicum unguibus esse dilaniandam, & ad nudandum caput pudendi longius retrorsum trahendam: quam poste-

riores Judæi sacramento huic, ceu alteram partem, præter & contra institutionem divinam affinxere. Neque fidem meretur, ideo secundum circumcidendos dici, quod in parentibus antea essent in Ægypto circumcisi. Sunt qui *נכח* per *vices* exponant, quasi Josuæ injunctum sit non omnes simul, sed postquam primi convaluerint ad resistendum hostibus, tum demum iterata actione reliquos circumcidere. Sed ita vocem hanc in alienam significationem detorquent, & textui huic Josuano contradicere videntur. Majorem veritatis speciem præ se fert illa multorū sententia, quam & Buddeus amplectitur, hic non aliud intelligi quam instaurationem actus hujus diu intermissi. Verum & sic novus affingitur significatus voci *נכח*, quæ non renovationem actionis intermissæ, sed ordinem, seu rei semel ante factæ repetitionem designare solet. Unde Philo & Josephus eam

fovent opinionem, quæ nec Pfeiffero displicuit, respici hic ad lustrationem populi Sinaiticam, Num. I. in qua circumcisi sint, qui præputiati tum essent inventi; sed & hi circumcisionem ad Sinai factam tum ἀγνάφως, tum contra capitis hujus Josuani v. 5. committuntur. Præterea מִצְוָה directe respicit מִצְוָה, non lustrationem, cujus hic nulla mentio. Et si de lustratione seu recensionem populi hic ageretur, tertia foret, non secunda, quæ non sub Josua, sed vivo adhuc Mose Num. 26. est peracta. Non itaque aliam videmus sententiam qua tutius adquiescamus, quam Theodoret, Hackspanii, Gezelii, Starckii, Köppenii, qui hic *alteram* sollemnem simultaneam multitudinis insignis circumcisionem intelligunt, post *primam* sollemnem Abrahami totiusque familiæ ejus. Frustra objicit Pfeifferus, sic, forte, centesimam dicentem

cendam: quum non de singularibus innumeris, sed de universali sollemnitate totius gentis circumcisione sermo sit. Neque obstat, secundam hanc prædicari de *filiis Israelis*, qui in prima illa non dum erant nati; nam si salvanda est nativa vocis כַּרְתּוּם notio, nemo secundum est circumciscus: adeoque hic ac sollemnitatem actus in eadem gente, non ad singulos homines respicitur.

## §. II.

PRæterea litem movit eruditus circumciscionis hujus instrumentum, de quo Josuæ præcipitur: וְעָשִׂיתָ לְךָ חֲרָבוֹת מִבְּרִיחַיִּים, *fac tibi gladios seu cultros petrarum*. De forma facilius convenit. Non enim visum est plerisque necesse כַּרְתּוּם hic cum nonnullis Judæis de gladio interpretari, quæ alioquin ejus significatio esse solet, quum & *cultrum* denotare possit, quemadmodum Græcorum

rum *uaxaia*, quam vocem LXX. interpretes h. l. adhibuere. Licet forte hæc vox, iudice Buddeo, ideo usurpetur, quod cultri paullo majores, & gladii formam referentes, ad hunc actum fuerint conficiendi. De *materia* plus disceptatur. Textus habet חרבות צור quorum vocabulorum posterius *petra* significatu notissimum est, unde Græci interpretes *uaxaia* *πελεινας* reddidere. Verum cum inconueniens videatur, lapides ad hunc actum adhibitos esse, & adhiberi potuisse, maluerunt multi צור tum hic, tum Exod. 4. 25. intelligere de acie, quæ hoc nomine dicatur, quod ferrum ad lapidem seu cotem acui soleat. In subsidium vocant Psal. 89. 44. אף תשיב etiam *retrosum vertis aciem gladii ejus*: ubi manifeste צור de acumine prædicetur. Plausibilis valde hæc est sententia, & propemodum nos in partes traxisset. Verum

re propius considerata, graviora deprehendimus momenta, quæ in communi sententia nos retinerent. Non enim tuto a solita vocabuli *nis* notione disceditur ob unicum locum, eumque valde ambiguum, ubi eadem, si non majori cum facilitate, significationem *roboris*, in sacris sibi alioquin familiarem, servare potest: quod & Lutherus vidit, reddendo: die krafft seines schwertes. Quod ad usum in hoc actu attinet, non censendum omnem lapidem, præsertim fissilem & sili- cem acutum, ad amputandum præputium esse ineptum. Namque apud Ægyptios lapidem Æthiopicum in cultros acutum fuisse, ex Herodot. lib. II. c. 83. jam pridem viris eruditis observatum est. Eo spectat Juvenalis Satyr. 6. *Mollia qui rupta secuit genitalia testæ.* Acutum certe sili- cem huic actu esse adhibitum, ex Zipporæ exemplo colligere fas est, ubi *nis* alias inepte esset absolute

positū. Quin orientales Judæi adhuc in circumcissione cultellis lapideis uti traduntur, propagata sine dubio a majoribus consuetudine. Causam vero dilatae tamdiu circumcissionis, non cogitandum est fuisse sive contumaciam multitudinis, sive quod isthoc signum ad populum in solitudine constitutū ab aliis discernendum non esset necessarium: sed ne periculo vitæ exponerentur tenelli recens circumcisi, quum quotidie ad motum columnæ nubis intenti, & ad iter moliendum accincti esse deberent.

§. III.

Quum itaque negotium hoc circumcidendi populi, curante Josua rite esset peractum, subjungitur mox effatum hoc divinum: היום גלותי את חרפת מצרים מעליכם  
*hodie devolvi opprobrium Ægyptiorum a vobis.* In cujus rationem quoniam breviter inquirere constituimus, de gravioribus vocabulis primum sigilla

latim aliquid est notandum. Vox מצרימ tripleiter usurpatur: 1. de filio secundo Chami, Gen, 10: 6. 2. de terra Ægypti sæpissime. 3. neq̄ raro de incolis Ægypti, ut Exod. 14. 27. מצרימ מצרימ Ægyptii fugiebant. Putatur deducta a מצר angustia, radicis צר, sive מצור munimentum, radicis צור. Rationem hanc addit Bochartus Phaleg. lib. 4. c. 24. sive quod Ægyptus, de qua proprie dicitur, sit angusta, & tota in longitudinem porrecta: sive quod nulla regio naturali situ sit tutior, ut & Diodorus Siculus testatur lib. 1. η Αιγυπτος πανταχόθεν φυσικῶς ἀχύρωται, Ægyptus undique natura munita est. Duali numero dici, quod duplex sit Ægyptus, in superiorem & inferiorem distincta. Unde concludit, מצרימ non esse nomen hominis, quod non patiatur forma dualis, ideoq̄ de Chami filio duntaxat dici, quod pater sit incolarum terræ

*Misrajim*. Verum falli hic eruditissimum virum putamus, quia secundum hunc Chami filium longe ante occupatas Nili ripas & natum & nominæ insignitum esse probabile est. Quare convenientius creditur, regioni isti, postquam *Sive Misrajim* ipse, sive posterius ejus sedes ibi fixissent, nomen a progenitore gentis, ceu in multis aliis antiquitus factum constat, adhæsisse. quemadmodum eadem terra etiam a Davide Psal. 105: 27. & 106: 22. vocatur סַרְרָא צַרְרָא *serra Chami*: quem tamen ipsum unquam Ægyptum esse ingressum, nemo tuto statuerit. Forma autem vocis hujus neminem turbabit, quum habitus nominum priorum Hebraicorum admodum variet. Alia enim terminatione alias feminina de masculis effertur, ut Gen. 10. *Thogarma, Elischa, Havila* &c. alia more pluralium, ut ibidem *Cbittim, Dodanim,*  
&

& Gen. 46: 21. *Myppim, Hyppim* &c. immo eadem forma alioquin duali nomen *Ephraim*: hæc tamen de singularibus hominibus prædicari manifestum est. Quæ autem ratio fuerit ejusmodi *ὄνομα θεοῦ*, definiri jam nequit, quum hæc caligine vetustatis sit obvoluta. Hoc loco *עַפְרַיִם* commodissime *μελεωνυμικῶς* de gente intelligitur.

#### §. IV.

**A** Verbo *קָרַח* *exprobravit, probro affecit*, ortum est nomen *קִרְפּוּם* *probrum, opprobrium*. Geminus hujus usus præcipue deprehenditur: I. *convicium & contumeliosum factum*, quo honor & existimatio læditur. II. *ignominia & contemptus*, quem contumelia habet comitem. Unde patet, *active* id accipi & *passive*. Porro juvabit observasse rationem hujus vocabuli in regimine alterius nominis, & in connexionione cum affixo *pro-*

pronomine possessivo. Videlicet nomen, quod ab hoc חרפה regitur, nec non pronomen, quod eidem affigitur, solet significare: I. sæpe numero subjectum agens, quod opprobrium infert, ut Ezech. 36: 15. קְּחָרְפֵּת עַמִּים לֹא תִשָּׂא עוֹד *opprobrium populorum non feres amplius.* II. sæpissime subjectum patiens, quod ignominia afficitur, ut Gen. 30: 23. אֶסַף אֱלֹהִים אֶת חַרְפֵּי *abstulit Deus opprobrium meum.* III. materiam derisionis, ut Ezech. 36: 30. חַרְפֵּת רָעָב *opprobrium famis.* IV. Aliquando durationem ignominie, ut חַרְפֵּת עוֹלָם *opprobrium seculi*, seu perpetuum, Psal. 78: 66. Quem h. l. habeat respectum ad nomen מַצְרוֹם, infra curatius est indagandum.

Verbum גָּלַל generatim *volvendi* notionem habet: unde pro substrata materia & particularum affectione, speciales acceptiones admittit varias. Sic est *convolvere rem* dif-

diffusam, ut codicem, Esa. 34. 4. *prævolvere* aliquo, ut saxa ad intro-  
 itum, Jos. 10: v. 18. *devolvere* alicun-  
 de, cum præpositione  $\text{מן}$  vel  $\text{מעל}$ ,  
 ut Gen. 29: 3.  $\text{מללד}$  *devolverunt lapi-*  
*dem מעל* ab orificio putei. Eadem heic  
 in metaphorico significato est con-  
 structionis ratio, ubi  $\text{גלגל}$  *ἐκφαλιῶς*  
 eodem tendit, atque similia cum  
 $\text{חזפה}$ , ut  $\text{חסוף}$  *auferre*, Gen. 30:  
 23.  $\text{חסור}$  *removere*, Esa. 25: 8.  
 $\text{העביר}$  *facere ut transeat*, Psal. 119:  
 39.

### §. V.

**H**isce ita breviter prælibatis, va-  
 rias variarum de hoc loco o-  
 piniones ponderabimus. Ut  $\text{חזפה}$   
 vidimus non una eademque ratio-  
 ne semper in statu constructo affi-  
 ci a sequenti nomine, aut in conne-  
 xione ab affixo; sed nunc actionem  
 ab re alia profectam. nunc passionem  
 ab illa receptam, modo materiam  
 op-

opprobrii indicare: ita interpretes hic in diversa abiere, suo singuli gustui servientes. Primum de iis agemus, qui constructionem hanc *active* sunt interpretati de Ægyptiis. Sed neque illi de causa convicii omnes eadem sentiunt. Nonnulli namque *servitutem Israelitarum in Ægypto* hacce formula denotatam contendunt. Quum enim Ægyptii Israelitas, ut vilissima mancipia, omni contumeliarum genere vexassent, atque hactenus ut servos suos fugitivos conviciis proscinderent; ab ignominioso isto jugo nunc demum, quum fœdere Abrahami per circumcisionis renovationem restaurato, jam ipsam terram Canaan ingressi essent, ita prorsus liberati erant, ut nihil amplius juris Ægyptiis in Israelitas superesset: ut Celeb. D. Buddeus Hist. Eccl. per 2. sect. 2. §. 2. hanc sententiam adstruere aggreditur. Sed si vera fatear, longi-

us omnino petita illa ratio videtur, quæ legenti hæc Josuana vix in mentem veniet. Non enim tunc demum Israelitæ a jugo servitutis Ægyptiacæ erant liberati; sed dudum ante, i. e. simulatque mare trajecissent rubrum, plene in libertatem fore vindicati, adeo ut ab isto momento Ægyptiis nihil juris aut potestatis in eos esset. Unde & Deus populum Ægypto recens egressum, jam ad Sinai, Exod. 20:2. & postea sæpius in solitudine, hujus beneficii, quo plene tum fruebantur, per Moſen commonefacit. Hic autem novum factum, novum beneficium, tunc modo exhibitum, diacritica temporis præſentis particula היום *hodie*, quasi indice digito demonstrat. Neque circumcisio ad hunc effectum producendum aut confirmandum in se spectat, quippe quæ non terrestris erat hereditatis sigillum, eaque jam in servitute quam maxime erant usi. §. 6.

## §. VI.

**A**Lii hoc accipiunt de irrisione Ægyptiorum, qua Israelitis insultabant, *quasi terram Canaan frustra speraverint*: in qua tunc spe per circumcisionē fuerint confirmati. Id colligo, inquit Guffetius Comment. L. Ebr. voc. פתח, ex Exod. 32: 12. & Num. 14: 16. ubi Ægyptii repræsentantur tanquam dicentes, Jehovah non potuisse introducere Israelem in Canaan, ac proinde deridentes populum Deumque ejus. Jam quidem ex regionis Galaad occupatione apparebat, Jehovah beneficisse Israeli: at supererat locus respondendi, non Galaad fuisse objectum promissionis, & expeditionis tam laboriosæ, sed Canaan: proinde permutationem Galaaditidis pro Canaane palliativum esse remedium, quo tegeretur fallacia spei illorum. At vero nunc, quum essent positi in

B

pos.

possidendæ Canaan, totum illud opprobrium removebatur, & os Ægyptiis obturabatur. Multam hæc sententia veritatis speciem habet, unde & pluribus arrisit. Verum tamen diligentius excussa, non undiqve nobis satisfacit. Attentus enim & præjudiciis non occupatus lector aptam rerum connexionem & hic desiderabit, atqve in volvendo historiæ Josuanæ contextu quidvis aliud cogitabit. Namqve effectum hoc divinum arcto adeo nexu circumcisioni præcedenti est subjunctum, ut aliud, quam illam, sine luxata orationis serie respicere nequeat. At quodnam necessarium vinculum occupatio terræ habet cum circumcisione? Annon huic, ut primum institutæ, ita repetitæ nobilior finis est tribuendus? Si de ingressu in Canaan hoc accipiendū, propria vocis בְּיָמָיו notio deseritur, quum non eodem die sint circum-

cisi:

cisi: sed sic effatum' hoc oportuit circumcissioni præmitti. Frustra de confirmanda spe occupationis suggeritur, quum antea sæpius de eadem fuerint confirmati, Neque irrisionis, si qua fuerit, causa dici potest tunc penitus devoluta & sublata, nondum occupata Cananitide, ubi tot munimenta erant oppugnanda, tam valida gens aggredienda, tot regibus conjuratis in Israëlitas consurgentibus. Quod ad dicta illa Mosaica, de irrisione Ægyptiorum, allegata attinet, manifestum est, illa non de convicio, quo tunc Israëlitas Deumque affecerint; sed de metu opprobrii ejusmodi aliquando futuri, si populus univèrsus in solitudine deleretur, agere.

#### §. VII.

**S**ententia illa, qua irrisionis causa ponitur *preputium*, propter quod *Ægyptii*, qui ipsi fuerint *cir-*

*circumcisi, Israelitar in deserto non circumcisos ludibrio habuerint, ab hujus loci contextu non videretur aliena, si historiæ & rei veritate comprobari posset. Jo. Spencerus, qui Marshami opinionem de origine circumcissionis ab Ægyptiis repetenda, prolixius confirmandam suscepit, provocat etiam ad hunc Josuæ locum, cujus adeo sensus sit, quum Ægyptiis gentes præputiatae fuerint contem-  
 tui, Deum hoc opprobrium eorum nunc ab Israelitis removisse. Hæc explicatio nec Jo. Clerico ad h. l. displicuit. Palmanum Spenceri argumentum est testimonium Herodoti lib. 2. c. 104. Μᾶνοι πάντων αὐθραίων, inquit Κόλχοι, καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθιοπες περιτευνῶνται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰεὶ αἰῶνα. soli omnium hominum Colchib, & Ægyptii, & Æthiopes ab initio pendenda circumciduntur. Addit, Phœnices & Syros, qui in Palestina sunt, fieri, ab Ægyptiis se hoc accepisse. Similia huic*

huic plures tradunt ethnici scriptores, Diodorus Siculus, Strabo, alii. Verum quanti hic sit Herodoti fides, eruditi satis demonstrarunt, cōf Deyling Obs. Sacr. pt 2. c. 6. Certe Herodotus, cujus ætas non supra Darii Hystaspidae tempora ascendit, res populorum, præsertim orientalium, antiquissimas profunde ignoravit, neque de rebus Ægyptiorum, ipso fidente, alia memorare potuit, quam quæ ab Ægyptiorum sacerdotum, gentis ventosæ, mendacis, & suorum rituum gentisque antiquitatem supra omnia extollentis, ideoque quidquid apud alios eximium videbatur, ad se trahentis vana traditione hausit. Ejus fidem longe posteriores Diodorus & Strabo infelici fato sunt sequuti. Fidem profecto superat, rem rationi ridiculam & absonam, inimo affectibus humanis contrariam & horrendam, sui liberorumve cor-

poris mutilatione exsequendam, natura duce excogitari, & ad cultum divinum applicari potuisse. Sufficiet cordatis, primam hujus ritus introductionem divinitus factam ab antiquissimo inter mortales historico luculenter enarrari Gen. 17. ut dolendum sit, homines fidem Christi professos, profanorum scriptorum conjecturas & tabulas supra Mosis fidem elevare, & scripturæ Θεοπιεύς auctoritatem proterve conculcare velle. Excipit Clericus, fieri potuisse, ut consuetudinem dudum receptam apud Ægyptios, Deus Abrahamo, sed alium in finem, observandam tradiderit. Sed fieri non potuisse censemus, ut Deus sanctissimus simiam impurorum rituum ageret, quum ipse sapienter dictaret circumcisionem ceu ארת ברית *signum singularissimum*, Gen. 17: 11. quo tanquam *υποτέλω ἡ Ὀραγυς*, Eph. 2: 14. populus ille ab aliis discretus, in foedus reciperetur. §. 8.

## §. VIII.

**V**erumtamen annon Ægyptii hunc ritum sive ab Abrahamo, sive Josepho aut Mose addiscere potuerunt, adeo ut tempore Josuæ usus ejus ibi viguerit? Neque ut id credamus, facile inducimur. Certe Abrahamus nondum circumciscus in Ægyptum descendit, neque rem hanc eo introducere potuit. Nec ulla exstant vestigia, auctoritatem Josephi aut Mosis effecisse, ut mos hic reciperetur: sed contrarium potius colligere licet ex Exod. 12: 43. seqq: ubi indigenis Israelitis omnes peregrini ut præputiati opponuntur, qui ad communionem agni paschalis, nisi recepta circumcissione, non essent admittendi. Quin immo ne Jeremiæ quidem ævo Ægyptios circumcisci consuevisse, docet ille cap. 9: 24, 25. quo priore versu Spence-rus est abusus, recte in ipsum retorquendo. Nam promiscue destinan-  
tur

tur supplicio *omnes circumcisi, una eum præputio* (quod accentuum positus ostendit) addita hac distinctione, *omnes gentes, inter quas Ægyptii* expresse numerantur, *esse præputiatis, omnes vero Israelitas,* quamquam corpore circumcisos, tamen *corde præputiatis.* Sed sicine, inquires, nihili erunt testimonia illa de Ægyptiorum circumcissione? Si quid hujusmodi fuit aliquando in Ægypto usitatum, cuius tamen rei certa adhuc documenta desiderantur, apparet ante tempora captivitatis Babylonicae frustra id quæri: sed putamus, siue universam gentem demum exemplo Judæorum cum Jeremia in Ægyptum descendentium; siue probabilius, tantum sacerdotes Ægyptiorum, singularem severioris disciplinae & sanctitatis laudem affectantes, hunc ritum assumpsisse. Quod & Origenes lib. 2. comment. ep. ad Rom, & Josephus contra Apion, lib. 2, de solis

lis sacerdotibus tradunt. Præterea ut ad rem præsentem addam, probari nequit, Ægyptiis trans mare aliquid innotuisse de circumcissione ab Israelitis in deserto intermissa: adeo ut convicium eorum, quod inde sit natum, eadem facilitate rejiciatur.

### §. IX.

**S**uccedit sententia, quæ חרפה quidem active accipit; verum nomen ab eo rectum מצרי non ut subjectum agens, sed ut *materiam irrisionis* ponit. Scilicet D. Seb. Schmidius ad h. l. cui & D. Majus adstipulatur, opprobrium Ægypti *active & objective* exponit, de *convicio*, quo *populus Israel Dominum Deum affecerit super Ægypto*, quasi hæc longe melior sit terra Canaan, quam ipsis Deus falso laudaverit tanquam optimam. conf. Num. 14 2, 3, 4. Hanc autem blasphemiam nunc esse sublatam,

tam, quum placato Numine Cananæam ingressi delicias ejus degustare inciperent: eumque in finem circumcisionem statim post ingressum in hanc terram esse renovatam. Ipsi quidem Schmidio nihil in hac sententia videtur desiderandum: verum desideratur utique connexio rerum. Actus enim circumcisionis hoc devoluti opprobrii epiphonemate clauditur: at quis nexus circumcisioni cum convicio populi intercedit? namque sacramentum circumcisionis ob isthoc conviciam esse suspensum, statui nequit: neque ingressum in Cananitida illud in se respiciebat. Et ut de ista Israelitarum in Palæstinam introductione enunciatum hoc interpretemur, conviciam ipsorum haud patitur. Non enim adeo solum Cananiticum ut sterile culparunt, quippe cujus fertilitatem jam tum in solitudine erant edocti, præstantissimosque fructus præ-

prægustarant: quam 'occupationis  
 laborem & futuri belli periculum ex-  
 aggeratum declinarunt. Tantum  
 itaque abest, ut causa istius con-  
 vicii dici queat ingressu populi in  
 Cananæam sublata, ut tanto magis  
 aucta videatur, quanto propiore  
 horrore fortissima munimenta co-  
 ram quasi spectata, & bellicosissi-  
 marum gentium apparatus armo-  
 rumque strepitus undique in pro-  
 pinquo auditus, animos percellere  
 poterant, si filii ut parentes ipso-  
 rum affecti fuissent. Præterea raris-  
 sima est nominis מַסַּפָּה constructio  
 cum materia opprobrii, ut ea tuto  
 admitti nequeat, nisi manifesta rei  
 argumenta urgeant. Ast minime  
 contemnendum putat Schmidius,  
 quod dicatur opprobrium *Aegypti*,  
 non *Aegyptiorum*. Quasi non novis-  
 set vir eruditissimus, מַצְרַיִם, sic-  
 ut & alia regionum nomina, tam  
 de incolis, quam de ipsa terra usur-  
 pari;

pari, adeoque hac ratione nihil concludi.

§. X.

Supereſt, ut de eorum ſententia moneamus, qui *הערה* heic ratione conſtructi nominis *paſſive* intelligunt, videlicet de *probro illo, quo Aegyptii erant ignominioſi*. Verum neque illi omnes de cauſa opprobrii conſentiunt. Quibusdam videtur heic indicari ſive *ſuperſtitioſa Aegyptiorum religio*, cui Iſraelitarum animi nimium quantum fuerint addicti, ſed nunc demum per circumciſionis renovationem prorsus ab ea averſi: ſive *profani eorum mores, maxime propudioſa libido*, quibus Iſraelitæ in Aegypto adſuefacti, nondum plane contagionem illam exuerint, prius quam hoc ſacramento purgarentur. Verum ſi quid ejuſmodi labis tunc Iſraelitis adhæſit, non probabile eſt, hoc enunciatum divinum primario

& unice in id directum esse. Certe ægre nobis persuaderi potest, populum Dei adhuc dum religioni Ægyptiorum deditum fuisse. Quod autem tum ad eam, si qua in animis eorum residua fuit, tum reliqua vitia, quibus ex contagione Ægyptia aut parentum exemplo infecti erant, attinet non tunc demum, sed dudum ante, universo itineris tempore, ea tollere & extirpare divina bonitas diligenter laboravit, dum *Spiritum suum bonum ad informandos eos dedit*, Neh. 9: 20. & adhuc ante trajectum Jordanis, studium sanctimonix ab iis exegit, Jos. 3: 5. Denique siquidem locus hic de actuali remotione loquitur, credibile non est, vitiorum labem tunc ita detersam, quin multorum animi in tanta turba, recepto licet circumcensionis Sacramento, corruptis nihilominus moribus manserint inquinati.

## §. XI.

**N**ON itaque aptiorem reperimus  
 sententiam, in qua subsistamus,  
 quam quæ *הפסח* itidem *passive* de Æ-  
 gyptiis accipit, sed causam ejus sta-  
 tuit *preputium*. Scilicet hunc puta-  
 mus effati illius divini liquidissimum  
 esse sensum, quem Celeb. Köppe-  
 nius hac sistit paraphrasi: *Hodie quan-*  
*do ingens hominum multitudo, que in*  
*deserto circumcisa non erat, demum cir-*  
*cumcisa est, abstuli a vobis, tum iis ipsis,*  
*qui circumcisi sunt, tum reliquis Israe-*  
*litis, in quos illorum quoque ignomini-*  
*a redundabat, probrosum, quale est Æ-*  
*gyptiorum, preputium.* Actum enim  
 circumcisionis obsequenter præsti-  
 tum proxime excipit enuntiatiū hoc,  
 eique arcte adeo connectitur, ut si  
 aliorum trahatur, oratio luxato ne-  
 xu abrupte incidens, legentis ani-  
 mum in lubrico pendentem, incer-  
 tasque undecunque captantem con-  
 jecturas, destitueret. Quod demon-  
 stra-

strativa temporis præsentis particula  $\text{— הוּ הוּ}$  ulterius confirmat, quum ostendi nequeat, isto rerum articulo alium fuisse actum institutum. Hinc quod remotum dicitur, circumcissione ablatum sit oportet. Quod vero populum onerabat, res erat ignominiosa, quæ actu & reapse devolvi debuit, ut constaret, sublata causa, opprobrium & ignominiam vere remotam. Ignominia autem dicitur Ægyptiorum, sive quam aliis facerent, sive quam ipsi paterentur. Ast active non posse accipi, jam supra evictum putamus: ergo passive de re, qua ipsi aliis erant infames. Hanc infamiam Israelitæ eatenus participarunt, quia ejusdem causæ consortes erant. Verum hæc nulla alia esse potuit, quam præputium, ob quod Ægyptii potissimum fuerant probrosi Israelitis, qui inunc tanto magis id detestari debebant, quod & ipsi idem

dem contraxissent, atque in eandem incidissent ignominiam. Præputium certe jam a filiis Jacobi Gen. 34: 14. *פרעו* *probrum* censebatur. Immo vocem hanc frequentissimo usu cum alio nomine aut pronomine ut patiente construi, jam ostensum est. Simulac itaque molestiæ itineris cessabant, & Israelitarum infirmiores. femellæ parvulique, longo fatis tempore in iisdem castris quieturi erant, fœdus cum Abrahamo initum circumcisionis sigillo confirmandum, & nota infamiæ hactenus contracta, qua Ægyptios averfati essent, confestim tunc tollenda. Unde & locus, ab *acta devolutionis* ל ג ל ד dictus, idem alio nomine a *re devoluta* צ ב י ת ה ע ר ל ו ת *collis præputiorum* ibid v. 3. est vocatus. Nihil igitur huic epiphonemati intelligendo convenientius, quam *probrum præputii*, videtur.

## § XII.

**C**ETERUM sententiæ huic objici solet; Sic potius dicendum fuisset opprobrium popularum, quum non Ægyptiæ soli, sed omnes gentes fuerint præputiatae. Sed res est notissima, in scripturis speciem sæpissime pro genere poni. Quin neque h.l. sine ratione præ Cananæis & reliquis gentibus Ægyptiæ commemorantur, quoniam inter hos Israelitæ tanto tempore delituerant, pravis eorum institutis adveverant, ex iis exierant: quemadmodum postea quum Cananitis immixti essent, horum flagitia, quamquam cum aliis gentibus communia, peculiariter illis exprobrantur. Admonentur ergo Israelitæ, omne desiderium Ægyptiorum, & quidquid in eorum moribus probrosum sibi ut peculio Dei esset notatum, resecto præputio penitus exuere. conf. Lev. 18: 3. Porro objicitur, præputium gentibus non esse igno-

C

mi-

*miniosum*. R. Sibi quidem gentes instituto suo placuere: verum Deo populoque ejus erant probrosæ: unde exprobratio illa *פְּרֻטִיּוֹת* *praputia* *ti*, frequenter in ignominiam gentium movetur, Jud. 14: 3. 1. Sam. 14: 9. &c. Denique nec sententiam nostram infringit ratio a cognata phrasi *אֲבִימִלְכֵי* *abominatio Ægyptiorum*, Gen. 46: 34. Exod. 8: 26. petita: quum & dissimilis sit, & sint qui & eam passive malint interpretari, vid. Mülleri Greiffenh. Glossar. sacr. append. Coronidis loco moneamus, quosdam post Masium, cum hac sententia conjungere priorem illam, videlicet *una cum praputio remouendam fuisse omnem imitatione Ægyptiorum adscitam corruptionem, superstitionem, morumque profanorum impuritatem*. Quod si de intentione Divina accipiatur, jam ipsi ultro amplexi sumus: effectus tamen, non nisi in solis circumcisione ri-  
te

te utentibus sequi potuit. Hæc exigua, pro præfenti rerum habitu prolata, candidæ bonorum centuræ commendamus, & sanctissimo Numini perpetuo concinimus:

כבוד ליהוה לעולם



Viro Juveni, Eximio atque Doctissimo,  
Dno. GVST. GRANROTH,  
De PROERO AEGYPTI, primitias sci-  
entia suæ rite edenti, Fautori & amico  
perquam honorando,  
Σύγχαερα.

**P**indite nunc Heliconæ Dea, cantusque mo-  
vete!

Musarum vigiles, generosi & candidi alumni,  
Edite solemnes, hitari de pectore plausus!

Vab! Patria exsultet! merito jam lator, amice,  
Pulpita dum scanais studio celsissima Pindi.

Quis non ardorem, doctæ & conamina mentis,  
Carminè, voce pia, decoret, bis, terq; quaterq;?

Non igitur poterit decus hinc non ferre virile,  
Et laudum egregios titulos depromere abunde.

Sit Tibi sit felix quondam, nova, splendida  
laurus,

Quam Tu cõsequeris, studio & sudore perenni.  
Quot circa specimen cum Doctis verba loqueris,

Tot Deus omnipotens Tibi gaudia tanta para-  
bit!

Sic felices, ex animo, gratulatur  
conatus,

Sam. Hellenius,  
O-Botn.